

*que DDres Heeser de rat. redd. loc. 1. Nro 161. Hagen Tr. de usur. Cap. 11. Nro 120.* Consequenter à simili nec ista emptio fructuum pravitati fœneratitiæ obnoxia judicari poterit, si quid ultra consuetam quantitatem usurarum consequatur Emptor, quoniam & hîc eadem incertitudo subvertatur, dum non modò Emptor periculo amittendæ fortis & pretii se exponit, verum etiam dubio committit eventui, utrum crescente frumentorum valore lucrum, num verò potius eo decrescente & imminuto jactura & damnum ipsi obventurum sit. Veruntamen & hoc pariter nil suffragari poterit usurario Emptori; Quod si enim tritum illud Brocardicon unquam in Jure obtinet & verum est, quod omnis similitudo claudicat, sanè hac in parte verissimum erit, ubi discrimen inter antichresin & hanc Emptionem, non dicam intellectu solummodò statim percipi, sed & manibus, ut loqui amant, palpari potest; nam præterquam quod leges antichresin ob incertum fructuum eventum permittentes non *judaicè de immodico*, sed civiliter de moderato & tolerabili exæssu intelligendæ sint *Hagen. Tr. de usur. dict. Cap. 11. Nro 231. & seqq.* & casu, quo fructus nimium & immodicè legitimum usurarum modum excederent, omnes æquiores suadente ipsâ æquitate permittunt, ut moderamen adhibeatur, ne fraus fiat legibus, & sub hoc prætextu occasio pateat, legitimum modum usurarum circumveniendi & excedendi *Lauterbach. Dissert. de Jur. antichres. Thes. 47. Carpzov. part. 2. Constit. 30. def. 41. Mev. part. 3. Decis. 318. Struv. Synt. Jur. Civ. Exercit. 19. Thes. 52.* alia planè pro antichresi, quam hâc fictitiâ emptione ratio militat, siquidem